UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Magnvm Episcoporvm, Canonicorvm, Sacerdotvm Et aliorum Clericorum omnium tam Secularium quam Religiosorum

Tympe, Matthäus

[Köln], 1614

187. Solitudinem amare. V. Busæum de statu eremitarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-51447

Visual Library

turæ temperamentum ad mediocritatem reuocat. Hæc omnia ex Leſſio placuit huic intexere ſpeculo, propterea quod vti & ipſemet aſſerit Leſſius ea maxime perpendenda ſunt Eccleſiaſticis & Deo dicatis, quorum profeſſio eſt functionibus mentis vacare, & rebus diuinis intendere. Si enim iſta accurate expendant fieri nequit quin ſobrietas ipſis ſit placitura, & facilis ac iucunda futura, intemperantia vero horrori & deteſtationi. Pudebit multos ſuæ mollitiei, pudebit tantæ vilitatis & imbecillitatis animi, quod gulæ obſequijs ita ſint ſubiecti, quod duro eius imperio adeo ſeruiliter pareant, quod viliſſimis & momentaneis eius illecebris non poſſint reſiſtere.

Signum CLXXXVII.

Intra limites habitationis ſuæ ſe continere, nec temere egredi, ſed ſolitudinem amare.

1. *Eliſæus Propheta* Naaman principi militiæ Regis Syriæ de finibus Syriæ venienti minime occurrit, ſed cum Princeps ille venit cum equis & curribus, & ſtetit humiliter ad oſtium domus Eliſęi, limen habitaculi ſui egredi minime dignum duxit, neque ianuam vt egrederetur aperuit, ſed per nuncium potius quæ fuerant facienda mandauit (Heliſæus, ait D. Petrus Damianus, Spiritus S. diſcipulus, ſpe diues, theſauro fidei locuples, licet centum Prophetarum filios ſub

4. Reg 5 v. 1. v 9.

Tulerat Naaman ſecum decē talenta argenti.

diſciplinæ ſuæ magiſterio ſuſtentaret, pecuniam ſpreuit, munera repulit.) Cum tamē Giezi, puer Eliſæi, filium Sunamitidis mortuum excitare nō potuit (4.Reg.4.v.30.) ipſe Propheta tandem venit, & filium eius à mortuis ad vitam reuocauit, ita viri alias ſolitudini dediti ad ſæculares cum licentia poſſunt, ob certam proximi vtilitatem, vbi illi opitulari non poſſunt alij. Sic tempore ſeditionis excitatæ cum Theodoſius Imperator exercitus duci inquiſitionem demandaſſet, eorum qui ſtatuas ſubuerterant, egregios ſe in ſedanda ſeditione pręſtiterunt Monachi, paulum ſolitudinem relinquentes, vt tumultum in Philoſophia compeſcerent, ſed ſtatim re feliciter confecta (nam malum vt loquitur 1.Chryſ.hom. 17.ad pop. Ant. diſſoluerunt non multis diebus, ſed breui temporis momento) ad ſolitudinem & monaſteria remearunt, ſeu (vt vtar verbis S. Chryſoſtomi) die vna & deſcenderunt, & diſcreuerunt, & ſoluerunt calamitatem, & ad propria remearunt tabernacula. Sic & S. Antonius Abbas (teſte Ioanne Gerſone ſermone in Concilio Conſtant. habito in feſto S. Antonij) acceſitus aliquando à ſua ſolitudine in Alexandriam ciuitatem magnam, quatenus fidem beatiſſimæ Trinitatis quam corde credebat ad iuſtitiam ore coram toto populo cōfiteretur ad ſalutem, quod & factum eſt. Quamuis enim docuerit quod Monachus extra cellam aut ſolitudinem ſit ſicut piſcis extra aquam: Euicit tamen eum zelus fidei, & obedientia prælatis Eccleſiæ debita vt iret Alexandriam. In qua ciuitate dum premeretur à

turbi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turbis certatim irruentibus, vt virum fama nominis celeberrimum apud eos, ipſi vel viſu cernerent, vel manu tangerent, timentibus & comparientibus nonnullis vt moleſte ferret, fertur reſpondiſſe, mihi quidem aſſueto turbis inſultibuſque dæmonum nihil affert hic populoſus hominum concurſus moleſtiæ & turbationis. Nota verſus cuiuſdam religioſi.

Si vis pace frui vitamq́, tenere beatam,
Contempto mundo, Diſce manere Domi.
Eſt in eundo foras ſemper tentatio multa,
Vt non vincaris, Diſce manere Domi.
Ne ſol, neue gelu, nebulæ ſeu putridus aer
Lædere te valeant, Diſce manere Domi.
Ne potor, ſtultus, rabidus canis, aut furioſus
Perturbent mentem, Dilige ſtare Domi.
Ne tibi viſa diu mentem de nocte moleſtet
Illiciens facies, Dilige ſtare Domi.
Ores, ſancta legas, ſcribas ac otia vites
Semper agens aliquid, Dilige ſtare Domi.

Præmia religioſorum verorum, ſeu eorum qui vt peccata fugiāt & ſoli Deo viuant, ſolitudinem amant. V. in Triumpho.

Chriſtus tamen binos Apoſtolos mittebat ad prædicandum vt in rebus agendis & conſilio & opera ſubinuicem opem ferrent: Et Carolus Borromæus nunquam ſolus eſſe volebat, ſed aſſidue etiam noctu aliquos habebat inculpatæ virtutis ac bonæ famæ Clericos qui ante cubiculi ſui fores cubarent.

Clauſtra Canonicorum firmis vndique videmus circumdata munitionibus vt nulli intrandi aut exeundi ſine prælatorū conſenſu detur facultas. Nec ſine cauſa habent dormitoria, refe-

ctoria,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctoria, cellaria, & alias habitationes vſibus fratr
in vna ſocietate viuentium neceſſarias, in quibus
canonicis ipſis viuendum eſt vt ſuam inſtitutio
nem vita & moribus exornent potius quam de
honeſtent, ne regno Dei indigni fiant. Non enim
C. 117. 143. 144. ait regula Canonicorum in cauendis vitijs & am
plectendis virtutibus Canonicorum à Mona
chorum diſtare debet vita, ait regula Canonico
rum, cuius etiam hæc ſunt verba: *Is cuius eſt por*
tam Canonicorum claudere, & reſerare caueat ne ijs
Vbi nunc lex Iulia? dormis? *quibus cordi eſt plus otijs vacare quam diuinis obſequijs*
incubare, foris euagandi locum præbeat, & eorum nega
rum quod nefas eſt particeps fiat. Debet etiam aduenien
tes quoſque cum charitate ſuſcipere, & expleto comple
torio obſeratisq; portis earum claues ei qui vicem gerit
prælati ferre, vt nulli horis incompetentibus intrandi
Matt. 11. *aut exeundi maneat facultas.* Helias & Ioannes Bap
(quo inter natos mulierum non ſurrexit maior)
ob ſolitariam & eremiticam vitam commendan
tur in ſacris literis. *Helias*, vt plurimum verſaba
4. Reg. 1. tur in monte Carmelo & pilis induebatur, zona
pellicea præcinctus. *Ioannes* ab infantia vſque ad
Matt. 3. 4. finem vitæ vixit in deſerto &c. Ipſe *Chriſtus* ſæpe
ad montem ſeceſſit, ſecumque per otium verſa
tus eſt. Matth. 6. 46. Luc. 21. 37. Paulus ait ad Heb.
11. 37. *Circumierunt in melotis in pellibus caprinis ege*
tes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus,
in ſolitudinibus errantes, & in montibus & ſpeluncis, &
in cauernis terræ.

Sanctus Baſilius ſcripſit librum de laude vitæ ſo
litariæ, in cuius initio ait: *Solitaria vita cæleſtis*
doctrinæ Schola eſt ac diuinarum artium diſciplina,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illic Deus eſt totum quod diſcitur, via qua tenditur, &c.

Greg. Naz. in Apologia 2. poſt reditum à fuga ait: *Heliæ Carmelum agitabam, Ioannisq́; deſertum, ac cœleſtem eorum qui hoc Philoſophiæ genus profiterentur, viuendi rationem, præſentiaq́; omnia tempeſtatis inſtar exiſtimabam*, &c. Et, in Orat. ad Iulian. *Illud inprimis optabo vt mihi liceat toto hoc vitæ curriculo mundo emori vitamq́; in Chriſto abſconditam ducere, & magni cuiuſdam negotiatoris inſtar facultatibus omnibus meis pretioſam illam margaritam emere, ac fluxas ac fragiles opes cum firmis & cœleſtibus commutare.*

S. Hieron. ad Heliod. ait: *O eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis frater in ſæculo, qui maior es mundo?* &c. Et adu. Vigil. Cur, inquies, pergis ad eremum? ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat complexus. S. Chryſ. Hom. 8. in Matth. *Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudinem videbit innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, omnem diaboli tyrannidem diſſolutam, Chriſti regnum coruſcans*, &c. Seceſſio certe in loca deſerta 1. reddit Clericos aptiſſimos ad contemplandum Deum & cœleſtia, vnde ipſe Chriſtus quoties orare volebat in montes & loca deſerta ſeceſſit Luc. 5. 16. Immo & Plato locum peſtilentem elegit, vt diſcipuli eius nil niſi ſapientiam amarent. Pythagoræi non modo vrbes, ſed & hortos omniaq; loca, quæ voluptatem adferre videbantur vitabant, ne animi eorum molleſcerent & virtutum ſtudio retardarentur. Et Galenus ſcribit animos hominum delitiis